



P 4

~~P 4~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

17-49.

SIGNAT. 1515CCCCXIII.

Primam & vltimam dissertatio-
idem qui obtulit ceteras
cum iam in Bibliotheca
Volam. Diss. Ver. ap. Lond. & it
reperiant, excedit.



14.
11
QVOD BENE FELICITERQVE EVENIAT!

EX I. COR. II, 6. 7.

DE

SAPIENTIA DEI

IN MYSTERIO ABSCONDITA,
COLLATA

CVM

THEOLOGIA MYSTICA

DIONYSII, VT AIVNT, AREOPAGITAE,
SVB PRAESIDIO

ANDREAE KVNADI,

SS. THEOL. D. EIVSDEMO. AC METAPH.

PROF. P. ET AD AED. S. TRIN. PAST.

PVBlice IN GYMNASIO ANHALTINO DISSERET

IO. NICOLAUS BETICHIVS, *Servest.*

THEOLOGIAE AC PHILOSOPHIAE STUDIOSVS,

D. XX. OCT. A. MDCCVII.

SERVESTAE,

TYPIS JOH. DANIELIS MÜLLERI,

ILL. GYM. ANHALT. TYPOGR.

VIRIS
NOBILISSIMIS, SUMME REVERENDO, EXCEL-
LENTISSIMIS, CONSULTISSIMO, EXPERIENTIS-

SIMOQUE
DN. CAROLO FRIDERICO
GERHOLDO,

SERENIS. PRINCIP. SERVEST. ANHALT. CONSILIARIO
AVLICO ET CONSISTORII ECCLESIASTICI AS-
SESSORI SPLENDIDISSIMO,

DN. IOHANNI HEINRICO
FEVSTKINGIO,

SS. THEOL. DOCTORI CELEBERRIMO, SEREN. PRIN-
CIP. SERVEST. A CONSIL. ECCLESIASTICIS, CONCIO-
NIBVS AVLICIS PRIMARIIS, CONFSSIONIBVS PRI-
VATIS, ET SACRORVM IN ANHALTINATV CIS-
ALBINO ANTISTITI LONGE GRAVIS-

SIMO,
DN. PAVLO SCHEVBANO,
MEDICIN. DOCT. FAMIGERATISSIMO, SEREN. PRINC.
ANHALT. ARCHIATRO MERITISSIMO, AC NOBI-
LISSIMI SENATVS INCLYTAE CIVITATIS SER-
VESTANAE CONSULI
PRIMARIO.

DN. MAECENATIBVS, EVERGE-
TIS, PATRONIS SVIS MAXIMIS,

Hancce Dissertationem Theologicam cum Voto omni-
genae prosperitatis in Sui ac studiorum
suorum Commendationem offert

IO. NICOL. BETICHIVS.



Vm in Ecclesiis nostris de *Theologia Mystica*
 in vtramque partem nunc disputari soleat,
 illaque res multum in recessu habere videatur;
 arripuimus occasionem, cogitandi de *Sapientia Dei in mysterio abscondita*, de qua Paulus gloriatur *1 Cor. II, 6. 7.* vbi inquit: *Σοφίαν λαλῶμεν ἐν τοῖς τελείοις. Σοφίαν δ' ἐκ τῶν αἰῶν ὁ Θεὸς, ἣ δὲ τῶν ἀρχόντων τῶν αἰῶν ὁ Θεὸς, τῶν καταργημένων. ἀλλὰ λαλῶμεν σοφίαν Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην; ἣν προώρισεν ὁ Θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων εἰς δόξαν ἡμῶν.*
Loquimur sapientiam inter perfectos: Sapientiam vero non huius seculi, neque Principum huius Seculi, qui euanescent: sed loquimur Sapientiam Dei in mysterio absconditam, quam praefiniuit DEVS ante secula in gloriam nostram. Hocce dictum in paucis quaestionibus breviter explicabimus, vt tum de *mente Apostoli* nobis constet, tum *quid de Mystica Theologia existimandum sit?* innocenti et amica disquisitione inuestigemus. Rogamus autem Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt auxilio Spiritus sui nobis adesse, ac in verbo veritatis suae nos custodire velit, propter vulnera vnigeniti dilectissimique filii sui. Amen.

A

Qu.

* * *

Qu. I.

*Anne hominibus unquam reuelata est
Sapientia Dei in mysterio abscondi-
ta? R.*

I Dipse affirmat Apostolus, quando bis ait: λαλῶμεν, loquimur v. 6. Σοφίαν λαλῶμεν ἐν τοῖς τελείοις. et paulo post v. 7. λαλῶμεν σοφίαν Θεῶ ἐν μυστηρίῳ. Tria vero momenta vnico hoc verbo exprimere videtur. Scilicet

(1.) *Semetipsum annunciaſſe illam Dei Sapientiam.* Nam λαλεῖν proprie ſignificat loqui, diſſerere, et quando Apoſtoliſ tribuitur, explicari ſolet in S. Scriptura, nunc per κηρύσσειν, vt 1 Cor. I, 23. ἡμῶν κηρύσσομεν χριςτὸν ἐς αὐρωμένον, nunc per εὐαγγελί- λίζεσθαι, ibidem v. 17. ἀπέστειλέ με χριςτὸς εὐαγγελί- ζεσθαι. Quodcunq; igitur pro ratione officii ſui concionabatur Paulus, auditoribus ſuis arcanam Deiſapientiam manifeſtabat. Et quidem

[2.] *Verbis maxime perſpicuis.* Nam ex vſu Graeciae λαλεῖν eſt ſine artificio ac vulgariter loqui. Quod vel ex illo Plutarchi patet: λαλεῖν ἀειρος, ἀδυνατώτατος δ' ἐλέγειν. Quamuis itaque Paulo nil defuerit, quod excellentem Oratorem decet, a deo, vt a Lyſtrenſibus pro Mercurio, Facundiae Deo haberetur. Act. XIV, 12. tamen ne ſermo eius cuiquam obſcurus eſſet, maluit ιδιώτης videri, 2 Cor. XI, 6. quam τῆ ὑπεροχῆ λόγος, καὶ ταῖς πειθοῖς ἀνθρώπων σοφίας λόγοις vti. 1 Cor. II, 1. 4. Ean- demque

demque ob causam *δυσνόητα*, quae Petrus illi tribuit, 2 *Epist. III*, 16. non de *verbis*, sed de *mysteriis*, quae proponere solet, intelligenda sunt. Ne vero quis putet, solum Paulum absconditam Dei Sapientiam exposuisse, vsurpat *λαλεῖν* in numero plur. ali. quo indicat

[3] *reliquos Apostolos omnes secum facere*, ac idem tractare argumentum. *λαλεῖμεν*. Ego Cephas, Apollo, Barnabas, *loquimur* vno quasi ore, et annunciamus vobis hanc Sapientiam.

Qu. II.

Vbinam quaerere illam nunc oportet?

R.

In sola Scriptura S. Canonica V. ac N. Testamenti.

Enim vero

[1] nil quicquam locuti sunt Apostoli, nisi quod exacte conformum Scripturae fuit. *Nihil dico*, inquit Paulus, *extra ea, quae Prophetae locuti sunt, futura esse, et Moses. Act. XXVI*, 22. atque ideo scrutabantur Berrhoënses quotidie Scripturam, vt intelligerent, an, quae dixerat Paulus, illi conformia essent? *Act. XVII*, 11.

[2] Extra Scripturam hoc tempore nihil nobis reuelatur de arcanis Dei. Nam completus et clausus est Canon, *Apoc. XXII*, 18. 19. et quamvis adhuc *ἀόρατα τῶ θεῶ* per ea, quae facta sunt, *intellecta conspiciantur*, *Rom. I*, 20. tamen inde Theologia tantummodo *naturalis* enascitur, quae ad arcanam Dei Sapientiam non pertingit. *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei. 1 Cor. II*, 14.

[3] Ablegamur in diuinis mysteriis ad verbum DEI scriptum, *S. literae*, inquit Paulus, *possunt te eruditum reddere ad salutem*, 2 *Tim. III*, 15. et porro: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectus instructus. v. 16. 17.*

A 2

[4] Imo

(4) Imo reperimus in S. Codice ipsissimas conciones ac Epistolas Pauli, in quibus Sapientiam Dei professus fuit. Nam *Conciones* literarum monumentis consignavit Lucas in *Actis Apostolorum*, et quicquid ibi Paulus locutus fuerat, hoc et ipsemet postea in *Epistolis* scripsit. Etenim in dogmaticis, *scripserunt Apostoli eadem, quae prius ore annuntiaverant*. 1 *Ioh.* I, 4. et Paulus etiam τὰ αὐτὰ haec ipsa scribebat, quae antea fuerat locutus. *Phil.* III, 1. Vid. *Baldwinus et Pareus in h. l.*

Ergo male quaeritur a nonnullis arcana Dei Sapientia (a) in orali traditione, (b) in Epistolis Apocryphis Pauli, (c) in immediata et extraordinaria illuminatione Spiritus S. vel etiam (d) in luce Spiritus cuiusdam interni. Nam

a) Quamvis Apostolus noster *Traditionibus* favere videatur, 2 *Theff.* II, 15. ubi ait: *Tenete Traditiones, quas didicistis, siue per sermones, siue per Epistolam nostram*; tamen videtur tantum favere illis, revera autem non favet. Nominat enim ibi *Traditiones*, doctrinam, quam partim priori Epistola scripserat, partim viva voce tradiderat, cum nondum omnia complexus esset Canon N. T. Sed quid hoc ad nostra tempora post completum Canonem?

β) Qui *Epistolas* Pauli in canonem non relatas commendant, quales sunt, quas ad *Senecam* Neronis Praeceptorem et ad *Laodicenses* scripisse fertur; illi opera supposititia atque spuria obtrudere nobis volunt pro legitimis. Vid. *Dannh. in Christeide* p. 893.

γ) *Immediata illuminatio*, cum reliquis donis extraordinariis defuit, postquam satis confirmata est doctrina Christiana. *Linguae* enim et χαρίσματα illa fuerunt in signum non fidelibus, sed infidelibus. 1 *Cor.* XIV, 22.

δ) Quod denique *Spiritus* aliquis, tanquam tertia pars hominis, nobis inest, atque ecclasi, aut etiam introuersione quadam suscitari possit, ut ad arcanam Dei Sapientiam nos deducat, mere Platonicum est, atque a Christi et Apostolorum doctrina alienum. Spiritus enim, quem Paulus interdum ab anima distinguit, nunc superiores animae facultates, ut *Hebr.* IV, 12. nunc dona Spiritus S. notat,

tat, quae in regeneratione accipimus, vt *1 Theff. V, 27* Maneat
igitur hoc firmum et inconcussum, σοφίαν θεῶν ἐν μυστηρίῳ
nullibi, nisi in Scriptura S. quaerendam esse.

Qu. III.

*Quodnam praecipuum ac principale e-
ius Obiectum est? R.*

Iesus Christus idemque crucifixus. Quod probo

(1) *ex contextu ac disertis Pauli verbis.* Statim enim in Princi-
pio huius capituli, ex quo dictum nostrum desumptum est, clami-
tat: *Non iudicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, eun-
demque crucifixum, v. 2.* Haec conferenda sunt cum verbis prae-
cedentibus, ubi inquit: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudae-
is scandalum, Graecis stultitiam, ipsis autem vocatis Iudaeis atque
Graecis Dei virtutem ac Sapientiam 1 Cor. 1, 23. et Christus Iesus fa-
ctus est nobis a Deo Sapientia, vt qui gloriatur, in Domino gloriatur.
v. 30.* Ergo Sapientia Dei, quam proposuit Paulus fuit Doctrina
de Iesu Christo crucifixo.

Id quod constat

(2) *ex omnibus Concionibus et Epistolis eius.* Primo enim sermone,
quem post suam conuersionem habuit Damasci in Synagoga, an-
nunciauit Iesum, quod ille sit Christus, Filius Dei, Act. IX, 20. 22. post-
ea cum peruenisset Antiochiam Pisidiae, ingressus Scholam dixit:
*Notum sit vobis Fratres, quod per Iesum Christum remissio peccato-
rum vobis annuntiatur. In hoc, omnis qui credit, iustificatur. Act. or.
XIII, 38. 39.* Porro Philippis miraculoso terrae motu ex vinculis
liberatus, custodem carceris perterrefactum, his solabatur verbis:
Crede in Dominum Iesum et saluus eris tu et domus tua, Act. XVI, 31.
Sic et Thessalonicae per tria Sabbata de Christo disseruit, *quod il-
lum oportuerit pati et resurgere, et quod hic sit Iesus. Act. XVII, 3.*
Haec igitur breuis omnium etiam reliquarum concionum summa
fuit, imo et omnium eius *Epistolarum.* Ad Romanos quippe scri-
bit: *Si confitearis ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris,*

quod Deus eum suscitaverit a mortuis, saluus eris. Rom. X, 9. Ad Corinthios: Ego ut sapiens Architectus fundamentum posui, et aliud fundamentum ponere nemo potest, nisi quod est positum, Iesus Christus., I Cor III, 10. 11. Ad Galatas: Non justificatur homo nisi per fidem Iesu Christi; et nos in Christo Iesu credimus, ut justifiedur ex fide Christi, Gal. II, 16. Sic facili negotio reliquas percurrerem Epistolas, nisi metuendum sit, ne prolixitas nimia taedium pariat. Quare contraho vela, et quod dixi probō

(3) ex collatione totius Scripturae S. V. ac N. T. Cum vero haud opus sit omnes eius libros peruoluere, et vtramque paginam allegatione dictorum complere, sufficere adduxisse verba Christi: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere, ei illae sunt, quae testimonium perhibent de me, Ioh. V, 39.* nec non illud Petri: *De Iesu Christo testantur omnes Prophetae, remissionem peccatorum in nomine eius accipere omnes, qui credunt in eum, Act. X. 43.* Hic enim indicatur, nucleum Scripturae Christum esse. Atque id ipsum manifestum quoque fit

(4) ex tota salutis nostrae Oeconomia. Nam cum miseri peccatores simus, iraque Dei ac mortis aeternae rei, saluari non possumus, nisi per meritum Iesu Christi $\theta\epsilon\omicron\upsilon\varsigma\ \delta\epsilon\omega\pi\tau\epsilon\omicron\varsigma$ vera fide apprehensum. Hic igitur resplendet infinita Dei sapientia, quam et Angeli admirantur et homines. *O altitudo diuitiarum Sapientiae et Scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et inuestigabiles eius viae, quis enim cognouit mentem Domini? aut quis eius fuit Consiliarius? Rom. XI, 33. 34.*

Qu. IV.

Voluitne Deus, ut paucis in occulto, an vero ut palam omnibus annunciaretur? R.

Voluit certe, ut annunciaretur omnibus palam.
Hoc enim patet

I. ex

I. ex instructione Apostolorum prima: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, praedicare super terra.* Matth. X, 27. Hortatur enim hic Christus, vt quam doctrinam in Schola sua, privata institutione hauserant discipuli, eam deinceps vbique locorum publicarent, omnibusque notam facerent. Idem constat

II. ex missione illorum in vniuersum orbem: *Euntes docete omnes, gentes,* Matth. XXIIIX, 19, *Euntes in mundum vniuersum praedicare Euangelium omni creaturae,* Marc. XVI, 15. vt adeo hic nemo excludatur.

III. ex Benevolentia Dei Vniuersali, *qua vult, vt omnes homines saluisiant, et ad agnitionem veritatis perueniant.* 1 Tim. II, 4. Imo et

IV. ex praxi Apostolorum, *qui profecti praedicauerunt vbique* Marc. XVI, 20. vt Paulus quoque confidenter coram Agrippa Rege dixerit: *Auxilio Dei in hunc vsque diem sto, testificans minori ac maiori.* Act. XXVI, 22. Etenim et Christus Pontifici de ipsius doctrina interroganti, respondit: *Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagoga et in Templo, quo omnes Iudaei conueniunt, et in occulto locutus sum nihil.* Iob. XVIII, 20. Hunc igitur Magistrum discipulos sequi oportuit.

Nec obstat, quod Matth. VII, 6. dicitur: *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Non enim hic prohibentur Apostoli Euangelium annunciare omnibus hominibus, sed vult tantum Seruator, vt prudenter agant in hoc vniuersali praeconio, ac (1) nemini inuito temere obtrudant doctrinam Christianam, nec (2.) *specialem* mysteriorum fidei annunciationem, quae consistit in absolutione a peccatis et dispensatione Sacramentorum, indiscrete omnibus, prostituant, et prae fractis etiam peccatoribus impertiantur. *Conf. B. Aegidii, Hammius, et D. Prücknerus in Vindiciis huius loci.*

Qu.

Qu. V.

Quem autem in finem patefacta est?

R.

Vt fidem, ac per fidem vitam aeternam consequeremur. Naturaliter enim ignoramus et Christum et veram saluandirationem, adeo vt in tenebris pereundum nobis fuisset, n̄i Deus nostri misertus, tum per Filium, tum per eius discipulos manifestasset arcanam illam Sapientiam, consiliumque suum de nostra salute. Et hoc quidem sine, vt intelligeremus, quomodo salus nobis parta sit, et qua ratione adhuc obtineri queat? Illuc ergo (a) Christus tendit, quando inquit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dar et, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Ioh. III, 16.* Et huc (c) collinearunt etiam Apostoli (a) tum quando locuti sunt verba, in quibus saluari potuerunt homines, Act. XI, 14. (b) tum quando illa quae prius ore protulerant, postea etiam literis mandarunt. Nam haec scripta sunt, inquit Iohannes, vt credatis, quod Iesus est Christus Filius Dei, et vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Ioh. XX, 31.

Qu. VI.

Num conuenit cum nostra Theologia Christiana? R.

Exactissime conuenit. Quod manifestum euadet, vbi quae haectenus vberius disputata sunt, in arcum contrahemus. Satis enim euictum est, σοφίαν τῆ θεῶν ἐν μυστηρίῳ a. in Scriptura S. reuelari, b. Obiectum eius primarium esse Iesum Christum crucifixum, c. nec illam occultandam; sed omnibus palam annunciandam esse, et d. in salutem hominum tendere. Nunc applicabimus ista ad nostram Theologiam, quae (I) ex sola Scriptura

ra

ra S. dogmata sua depromit. In cuius rei fidem adducere liceat
 heroica Lutheri verba: Was seine Ankunfft aus der Schrift nicht
 hat, das ist gewiß vom Teuffel selbst. Denn alle Werck Gottes/die
 zur Seligkeit gehören/sind in der Schrift ordentlich gesetzt und ange-
 zeigt. Tom. II. Alt. p. 26. Adde Form. Conc. p. 632. *Totoplectore* Pro-
 phetica et Apostolica Scripta V. ac N. T. ut limpidissimos purissimos-
 que Israelis fontes recipimus et amplectimur: et sacras literas solas,
 vnicam et certissimam illam regulam esse credimus, ad quam omnia
 dogmata exigere, et secundum quam de omnibus tum doctrinis, tum
 doctoribus iudicare oporteat. Quomodo Aduersarii nostri, quan-
 tum ad Pauli Scripta, hoc de nobis confiteantur, vide apud Wolf-
 fium in Memorab. P. II. p. 63. (II.) *Obiectum* eius primarium esse
 Iesum Christum crucifixum, prolixa non indiget probatione.
 Loquantur libri nostri Symbolici in Articulis Simalcaldicis: *Hic*
primus et principalis articulus est, quod Iesus Christus DEVS et Do-
minus noster sit propter peccata nostra mortuus, et propter iustitiam
nostram resurrexerit, Rom. IV, 24. et quod ipse solus sit agnus DEI,
qui tollit peccata mundi. Iob. I, 30. et quod DEVS omnium nostrum
iniquitates in eum posuerit, Ies. LIII, 4. Omnes peccauerunt et ius-
tificantur gratis absque operibus seu meritis propriis, ex ipsius gra-
tia per redemptionem, quae est in Christo Iesu in sanguine eius. Rom.
III, 24. De hoc articulo cedere, aut aliquid contra eum largiri, aut
permittere, nemo piorum potest, etiamsi caelum, et terra, et omnia cor-
ruant. Et in hoc sita sunt, quae contra Papam, Diabolum, et uni-
uersum mundum in vita nostra docemus, testamur et agimus. F. C. p. 304.
 (III.) *Quod palam et aperte nostram confitemur doctrinam, atque*
 ad illam inuitemus et admittamus omnes, testantur *α)*
templa nostra, Turcis ac Iudaeis aperta, et *β)* *Conciones*, quae
 in illis ad populum habentur et praecipuos fidei articulos tractant,
 idem testantur *γ)* *Academiae* et *Scholae* in quibus a Profes-
 soribus Theologiae legendo ac disputando Veritas diuina publice
 proponitur, *δ)* *Libri nostri Symbolici*, et tot egregia volumina,
 quibus ὕποϋπόσεις ἐγκαινόντων λόγων et apparatus omnis
 eruditionis sacrae in vulgus spargitur; *ε)* *Scripta nostrorum*
contra vagabundos concionatores, qui domos perreptant. *Vid.*
Luth.

B

Luth. Schrift von Winkel-Predigern. T. V. Alt. p. 966. Q) et *Confessiones* denique *Aduersariorum*, qui aegre saepius ferunt ingenuitatem nostram, atque illam in speciem alicuius *Φιλονεικίας* interpretantur.

(IV.) Sicut igitur in his omnibus Theologia nostra cum abscondita illa Sapiencia Dei conuenit, sic etiam concordat in eo, vt ad salutem aeternam nos perducatur. Docet enim, quomodo in vera fide, solo Christi merito nixa ex hac vita decedere nos oporteat. *Beati autem qui moriuntur in Domino. Apoc. XIV, 13.*

QU. VII.

Sed nostra Theologia videtur esse Scholastica; anne igitur methodo ac terminis suis a Sapiencia Dei abscondita differt, nomineque illo indigna redditur: R.

Exosum est merito *Scholasticae Theologiae* nomen propter confusionem *Philosophiae* cum *Theologia*, et ob inutiles ac spinosas *Quaestiones* quibus veteres *Scholastici* limpidos *Israëlis* fontes turbarunt. Nec enim erubescunt, ex *Aristotele* mysteria fidei probare, semperque ex *Patrum* dictis, quam ex *Scriptura* disputare malunt. Inde fit, vt de principalibus articulis de *Iustificatione*, de *Fide*, merito Christi, altum apud illos silentium, longae vero et stultissimae altercationes inueniantur de hoc vel illo casu ficto et rebus mere possibilibus. Sic disputarunt nonnulli: *An asinus possit bibere baptismum?* teste *Soto* in 4. sent. dist. 6. qu. 5. Alii: *Quid sit at uendum sit de mure, qui forte consecratum in Missa panem comederit? utrum solum panem, an corpus Christi comede disse dicendus? et porro, rotusne vicissim deuorandus? an cremandus? an ex visceribus eius quod comederit, extrahendum sit?* Quos false ridet *B. Holderus* sub nomine *Fratris Wilhelmi de Studgardia*, in *Mure* exenterato. In his et similibus audiendus est *Apostolus*, qui inquit: *Stultas et ineruditas quaestiones de uita, sciens, quod generent lites. 2 Tim. II, 23, et si quis non acquiescit sanis sermonibus Domini:*

mini nostri Iesu Christi, et ei quae secundum pietatem est, doctrinae, inflatus est, nihil sciens, sed languens circa *ζητήσεις και λογομαχίας*, quae questiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium, quae sunt esse pietatem; se iungere ab iis, qui tales sunt. 1 Tim. VI, 3.

Hoc sensu nostra Theologia Christiana Scholastica dici non potest. Testantur enim publica monumenta et Systemata a tot praestantissimis viris edita, quod longe sobrius in mysteriis fidei versetur. Omittis enim omnibus tricis, consilium Dei de nostra salute exponimus, et quicquid statuimus, e S. literis probamus, nec Patres vllibi vt ludices, sed tantum vt testes producimus.

Interim cum ipse Apostolus probare omnia et quod bonum est retinere iusserit, 1 Thess. V, 21. nos quoque illa, quae in Scholasticis commode dicta sunt, atque in primis *Methodum* ac *Terminos* retinemus. Ipsa enim Experientia magistra docet, intellectum, memoriam, linguam, docentium atque discipulorum in Theologia non tantum *Didactica*, sed et *Polemica*, his ipsis plurimum iuari. Nam sicut *librum Naturae* DEVS homini dedit, *variasque in eo materias, sylvas, campos, montes, plantas, promiscue quasi conditas, homini, ne otia retur, curam, culturam, ordinem digestionem reliquit: ita librum Scripturae* proposuit, *variis argumentis refertum, ubi inani opera ordinem quaeras. Sed ideo Christus Doctores dedit, ac donum didacticum, vt omnia in ordinem redigant, excolant, expoliant, vindicent, atque fructus salubres dispensent. Sic Danbauerus in Hod. p. m. 9.* Cum igitur ad tantum opus multum conferat rotunda dictio et concinna methodus, quis vitio nobis vertet, si de illis solliciti simus? Et *Methodum* quidem si Philosophi non exhibuissent, ipsa Natura ac Ratio dicitaret. Quemadmodum enim Syllogismum in defectu praeceptorum naturae ductu construimus, ita etiam in connectendis thesibus nostris methodum aliquam ingrederemur, quae aptissima videretur. Pariter si Scholastici nullos exhiberent *Terminos*, ipsi met fingere illos cogeremur. Nam et rei difficultas et haereticorum petulantia interdum requirit, vt res diuinas eiusmodi verbis eloquamur, quae quidem quoad

ad literam in Scripturis non reperiuntur, quoad rem tamen ibi habentur, quaeque facilius a nobis intelliguntur, et aduersarios e latebris suis producant. Quod B. Io. Olearii monitum est in Indice ad Comment. B. Balduini in Ep. Paulip. 20. §. 5.

Tantum igitur abest, ut Methodus ac Termini Philosophici, Sapientiae diuinæ nomine Theologiam nostram indignam reddant, ut potius illam hoc maxime dignam esse, facilius nobis persuadeant.

Qu. VIII.

Anne hic obseruandum est discrimen inter Theologiam Catechetica[m] et Acroamaticam, ita ut haec, non illa, σοφία τῆ θεῶ ἐν μυστηρίω dicenda sit? R.

Abfit, ut Theologiae Catecheticae hanc gloriam denegemus, quam sibi vel maxime vindicat, quando de Christo differit, Consiliumque Dei de nostra salute reuelat. Nec enim minima pars Evangelii contemnenda est, sed certo credendum, infinitos thesauros Sapientiae ac Scientiae in illa contineri. Hinc quando Paulus Iudaeis ac Graecis prima Christianae fidei rudimenta proposuit, aequè Sapientiam Dei annunciauit, 1 Cor. I, 24. atque cum in Epistola ad Hebraeos ad perfectionem contenderet. Hebr. VI, 1. Interim fatemur, σοφίαν ἐν μυστηρίω clarius in Acroamatica lucere, quam in Catechetica, et perfectiores melius eam percipere, quam rudiores.

Qu. IX.

Quaenam sub nomine Dionysii Areopagitae circumfertur Theologia Mystica? R.

Dionysii Areopagitae, Viri admodum celebris, mentio fit Actor. XVII, 34. ubi commemoratur, quomodo per praeconium Pauli

Pauli ad Christum sit conuersus? Sub eius nomine prostant sequentes tractatus, 1. *de Hierarchia coelesti*, 2. *de Hierarchia Ecclesiastica*, 3. *de diuinis nominibus*, 4. *de Mystica Theologia*, 5. *Epistulae quaedam*. Insuper 6. *Hypotyposes*, et 7. *Theologia Symbolica* citantur, qui duo libri hodie non inueniuntur. Horum igitur verum auctorem esse Dionysium modo laudatum, probare conatur Del Rio in *Vindicijs Areopagiticis*, Schottus in *notis ad Phot. Bibl.* et Scriptores alii Pontificiae religioni addicti. Aduersus quos contrarium demonstrat Witakerus in *Disp. de S. Scriptura Contr. I. Qu. VI, num. 4.* Casaubonus *Exercit. XVI, contra Baron. §. 59.* Gerhardus in *Conf. Cathol. L. 1. P. 2. c. 6.* et Dannh. in *Christeide p. 901.* Ex antiquissimis Scriptoribus nemo huius operis meminit, et confirmat Sixtus Senensis, *Athanasii tempore illud adhuc incognitum fuisse. Bibl. S. LIV. p. 550.* Argumentum etiam et stylus ab aevo Apostolico adeo discrepat, vt Casaubonus existimet, *illum et Graecae Linguae et Historiae Ecclesiasticae plane ignarum esse, qui Dionysium Areopagitam verum auctorem credat.* Interim non tantum olim, sed et nunc magno applausu a multis recepti sunt hi libri et prae ceteris Theologia Mystica, quam pingere ac interpolare haud pauci veterum ac recentiorum Scriptorum conati sunt.

Vt autem constet nobis de mente Dionysii, tum in genere de scriptis eius, tum in specie de Theologia Mystica ex Interpretibus quaedam adducemus. Et quidem Scripta de DEO generatim complexus est Thomas de Aquino, vbi in *praefatione ad Tractatum de diuinis nominibus* (Liceat mihi verba eius in compendium redigere,) sic scribit: *B. Dionysius quae de Deo dicuntur, artificialiter quadrifariam diuisit. Nam (1.) in Hypotyposibus irradidit, quae ad Vnitatem diuinæ essentiae et distinctionem Personarum pertinent, cuius Mysterii sufficiens similitudo in rebus creatis non inuenitur. [2.] In diuinis Nominibus explicauit ea, in quibus similitudo a DEO in creaturas deriuatur; sicut a primo bono sunt omnia bona. (3.) In Theologia Symbolica exhibuit illa, in quibus vice versa similitudo a Creaturis in Deum transfertur, sicut Deus dicitur leo, petra. (4.) Cum omnis similitudo creaturae ad Deum deficiens sit, DEVSque omne id, quod in creaturis inuenitur excedat,*

excedat, quicquid in creaturis a nobis cognoscitur, a DEO remouetur, ita ut hoc ipsum, quod DEVS est, maneat occultum et ignotum. Et de huiusmodi remotionibus agit Theologia Mystica.

Haec si accurate perpendamus magnam nobis lucem dabunt ad percipiendam Dionysii de Theologia Mystica sententiam, quam porro exponit Iohannes Saracenus in Prologo: *Videtur di-
ca Mystica, quasi occulta et clausa, quia cum iuxta eam per ablatio-
nem ad Dei cognitionem ascenditur, tandem quid sit DEVS? clau-
sum et occultum relinquatur. Nam DEVS, addit Marsilius Fici-
nus, mentes tunc demum lumine suo penitus implet, quando se ipsas
illi quasi iam coecas atque silentes exposuerunt, i. e. tum singula in-
telligibilia de DEO negantes, tum etiam intellectualem formam su-
am actionemque consuetam per diuinum amorem mirabiliter tran-
scendentes. Sic igitur animus recte de DEO loquitur, quando non
loquitur.*

Qu. X.

*In quo igitur praecipue occupatur
illa? R.*

*In tradendis tribus Viis. (1) Purgatiua, quae et
Mortificatio appellatur, qua se animus quantum est possibile, libe-
rat ab omnibus sensibilibus et intelligibilibus, ut quasi excessum
atque ecstasin patiatur. (2) Illuminatiua quae etiam aurora dicitur,
in qua mens intellectu iam vacante per amorem ad DEum per-
ducitur et inestimabile gaudium percipit, (3) Vnitiua, ubi est dies
ac meridies, in quo vnitur animus cum Deo, et in ipsum transfor-
matur. Illud est quod Dionysius postulat, quando Cap. 1. inquit:
*Tu, amice Timothee, intentissimo circa mystica spectacula studio, lin-
que sensus intellectualesque actiones, et sensibilia et intelligibilia om-
nia, et quae sunt, et quae non sunt. Atque ut ipsi jungaris, quod om-
ni essentia et cognitione superius est, te ipsum intende pro viribus
cognitione vacantem. Sola enim extensione quadam tum a te ipso,
tum omnibus expedita, ad ipsum diuinæ caliginis radium essentia
sublimiorem, sublati omnibus et absolutus ab omnibus euolabis.**

Qu.

Quonam tendit? R.

Tendit I. ad fruitionem aeternae Beatitudinis, quam in hac vita consequi, ac gustare cupit, per amorem, quo ad DEUM euolat. *Vid. Marf. Fic. f. IV. T. M.*

II. Ad $\pi\tilde{\nu}$ illud in quo DEVS habitat. Hinc quando Dionysius historiam Mosis recitat in monte Sinai ad DEVM appropinquantis: *Ipsium inquit, DEVM non vidit Moses, nam visibilis haud est; sed locum ubi stetit. Sic qui visibilia et videntia, intelligibiliaque dimittit, ipsum ingreditur ignorationis mysticam reuera caliginem, ubi in eo, qui tadem penitus visumque refugit, jam consistit.*

III. ad transformationem in Deum, de qua Marfilius in Prooem. ad Th. Myst. differit: *Dionysii Dei numen Theologi Veteres et Platonicis separatarum mentium ecstasim et excessum esse putant, quando partim amor et nativo, partim instigante Deo naturales intelligentiae limites supergressae, in amatum DEVM mirabiliter transformantur. Vbi nouo quodam nectaris haustu et inaeestimabili gaudio velut ebriae, [ut ita dixerim] debacchantur. Hoc Dionysiaci mero Dionysius noster ebrius exultat passim. Effundit aenigmata, concinit Dithyrambos. Idem Marfilius fol. VI. Th. Myst. inquit: Vbi animus omnem prorsus actionem affectionemque et ad alia et ad seipsum jam deposuit, exiit et formam suam, induitque diuinam. Jamque sic agit vt Deus.*

Qu. XII.

Num vna omnium Mysticorum hypothesis? R.

Non. Etenim inter illos variae vigent controuersiae, de quibus vide Colbert. in *Christ. Plat. Herm. Part. 1. c. 2. p. 69.*

Deinde sunt qui etsi tres Mysticorum Vias ingrediuntur, tamen aliter de illis sentiunt, quam reliqui. Nam per *purgationem* intelligere videntur mortificationem carnis et pravae concupiscentiae, toties in Scripturis commendatam; per *illuminationem*, gratiam Spiritus S. qua tenebras intellectus nostri pellit, vt idonei reddamur ad percipienda illa, quae sunt Spiritus DEI; per *Vnitio-*

nem

nem vero vnionem credentium cum Deo Myfticam. Hi non ad ecclafin tendunt, atque omnem de Deo notitiam exuunt, fed fidem in Chriflum, ftudiumque pietatis vrgent, ac deuote et ardentem precari docent. Praecipui ex illis dicuntur eſſe, *Ephrem, Anſhelmus, Bernhardus, Taulerus, Gerſon, Thomas de Kempis*, (ſi hoc verum eius nomen eſt) *Egar dus, Arndius*. De quibus licet ſuos habeant naeuos et multi ſcriptis eorum ad palliandos errores ſuos abutantur, jam non diſputamus.

Qu. XIII.

*Quibus fundamentis nititur Theologia
Myſtica Dionyſii: R.*

Ipe Auctor prouocat (1) ad *hifloriam Moſis*, qui cum DEVS legem promulgaret, juſſus fuit ſe populumque *mundare*, poſtea audiuit multarum vocum buccinas, et vidit *lumina* multa et fulgura, tandem a turbis ſegregatus ad diuinarum aſcenſionum faſtigia ſe contulit, *locumque vidit, ubi DEVS ſtetit*. *Exod. XIX.* Moſen igitur in Myſtica aſcenſione imitandum eſſe ſcribit Dionyſius *Cap. I. Th. Myſt.*

(2) *Exemplum Pauli*, qui non tantum *in tertium raptus eſt coelum*, atque ἀόρητα audinit ῥήματα. *2 Cor. XII. 2. 4.* Sed et exclamavit: *O quam inueſtigabiles viae eius!* *Rom. XI, 33.* Vid. *Epiſt. V. Dionyſii.* Cui adiungunt alii

(3) *Johannem*, qui cum Apocalypſin accepit, *in Spiritu fuit*. *Apoc. I, 10.* et *Prophaetas* Deo plenos. Simili enim ratione Myſticum hominem ad DEVM euolare, occulta diſcere, Deoque repleri ſta- tuunt. Quidam allegant etiam

(4) *Praeceptum Chriſti*: *Diliges Dominum DEVM tuum toto corde, tota anima etc.* *Matth. XXII, 37.* *Animus*, ſcribit Marſilius Ficinus, *diuini montis faſtigiū adſcenſurus, imprimis cunctis exhortationibus amore ſolo primi boni eſt inflammandus.* Et quoniam ſuper- ni caloris officium eſt, ab inferioribus nos purgare, amoris diuini ſingularum rerum corporearum. Atque ideo in Scriptis Myſtico- rum tot exhortationes ad *amorem purum* inueniuntur. Addunt nonnulli

[5] For-

(5) Formulas ac Phrases mysticas in Scriptura S. occurrentes, quando mentio fit *Veteris ac Noui hominis, Regenerationis, Illuminationis, Vnionis credentium cum Deo etc.* Dicunt etiam

(6) *Salomonem* Theologiam Mysticam descripsisse 1 *Reg. VIII, 12.* vbi inquit: *Posuit tenebras latibulum suum!* et totum Opus exhibuisse in libris suis; quasi Via purgatiua in *Prouerbiis*, Illuminatiua in *Ecclesiaste* et Vnitiva in *Cantico* fuerint expressae. Denique in exemplum veri Mystici allegant

(7) *Mariam*, Lazari ac Marthae sororem, quae a curis domesticis animum abstrahens atque in silentio Christum audiens hanc laudem tulerit: *Maria, quod optimum est, elegit. Luc. X, 42.*

Sed omnia haec dicta et exempla *απεροδιονύσως* afferuntur. Quod facile monstrari potest. Nam

(α) Sensus ille Mysticus, qui ex historia Moysi, et promulgatione legis deducitur, non certe *innatus*, sed plane *illatus* est, ac sistit rem, quae nullibi in scriptura clare exprimitur. Vnde absque vltiori probatione in argumento tam difficili, admitti non potest. Ac praeterea longe alium elicit sensum mysticum Paulus *Hebr. XII, 18. 19.* vbi per fulgura ac tonitrua terrores legis indicatos fuisse scribit. Si igitur omnes ingenii lusus sensum Scripturae mysticum exhiberent, quid non fingeret Origenes cum Discipulis suis?

Deinde (β) *Ecstasin Pauli* ac *Iohannis* et raptus *propheticos* nemo piorum hodie vel optare vel proprio cordis ausu imitari debet, cum extraordinaria Dei opera fuerint, non omnibus promiscue concessa. *Numquid omnes Prophetae?* inquit Paulus *1 Cor. XII, 29.* et Deus ipse apud *Ieremiam* conqueritur: *Non mittebam eos, et currebant, non loquebar ad illos, et prophetabant. Ierem. XXIII, 21.*

γ) Verba Christi: *Diliges DEVM tuum*; à Mysticis non in illo sensu in quo a Christo prolata sunt, adducuntur. Nec enim iubemur excedere a nobis, et omnem sensum et intelligentiam imo et omnem reliquarum rerum amorem relinquere, sed *DEVM super omnia* quidem diligere, *proximum vero nostrum, sicut nosmet ipsos.* Quare nec abstrahere amorem ac animum nostrum ab omnibus, multo minus a proximo et nobismet ipsis possumus.

δ) Par ratio est terminorum et *formularum mysticarum*, in Scripturis occurrentium, quae plane in alium inclinantur sensum, quam

C

prae

prae se ferunt, ut ex collatione explicationis nostrorum ac mysticorum Theologorum patet.

¶] Locus quidem illustris est i *Reg. VIII, 12.* Sed quem egregie interpretatur B. Seb. Schmidius, quando ait: *Videt Salomon templum a nube repleri* [tunc enim templum, quod magnificentissime exstruxerat, dedicabat,] *recondaturque, quod Deus in nube appare-re voluerit, etiam in tentorio Moysi, hinc recte credit, quod in hac nube etiam esset Deus, qui sicut olim tabernaculum, sic jam templum replere et in eo habitare vellet. Audiente itaque populo, idem ver-bis claris confessus est: Deus dixit, se habitaturum in caligine seu nube, super tentorium scil. quare certo credo, quod in hac nube etiam similiter templum, quod loco tabernaculi est, impleat.* Hic de Theologia mystica nihil.

Porro, ubi quaeſo excessum mentis commendavit Salomon? aut ubi nam ille jusſit linquere ſenſuales et intellectuales operationes? quin potius *Proverbia* eius optimas vitae regulas, *Ecclesiastes* *ἀνταρξείαν*, *Canticum*, vaticinia de Christo ſuppeditant, nec tantum voluntatem, ſed et intellectum perficiunt.

Denique *Maria* abſtinet quidem, dum Chriſtus loquitur, ab oeconomicis operibus et cum attentione conciones optimi Magiſtri audit, nullam vero Ecſtaſin patitur, neque in myſtica ignorantiae caligine Deo frui cupit.

Quamobrem obſervamus, non dicta illa et exempla Scripturae, ſed *Philosophiam potius Platoniceam et Pythagoraeam, verae eſſe Theologiae myſticae fulcra.*

Iſtud nec ipſius Dionyſii Interpretes negare poſſunt, quos inter Marſilius Ficinus eminet, qui per omnes paginas Commentarii ſui obnixè omnia facit, ut demonſtret *Dionyſium Areopagitam Platonicae diſciplinæ cultum eſſe*, quo etiam elogio eum ſtatim in initio mactat.

Et res ipſa clara ſatis eſt, ſi cum his conferas quae Pythagoras de *aſcenſu mentis et Purgatione animarum*, praecepſiſſe fertur, nec non quae Plato in *Phaedone* ſuo de morte et *exceſſu mentis* tradit vide *Differtationem noſtram de Moriente Platónico.*

Qu.

*Quid dicitur de hac Theologia Lutherus
judicauit olim? R.*

Nolo prolixus esse in multorum iudiciis hic percensendis, liceat modo Lutherum audire, cuius de Taulero et aliis Mysticis Scriptoribus sententiam tanti fecit Arnoldus, vt in Catalogo illorum passim alleget. Scribit autem B. Vir in Comment. in Psalm. V. *Multi de Theologia Mystica negatiua, propria, Symbolica scribere ac dicere conati sunt, ignorant autem, quid dicant et ponant, aut quid sit, ponere aliquid vel non ponere. Nec scripta et Commentarios eorum absque periculo legere quis potest. Haec admonitionis ergo dixi, quoniam non tantum apud Italos, sed et in Germania passim circumfertur liber ille Dionysii de Theologia Mystica, qui nil exhibet, nisi artem turgidam, philotia et iactantia, plenam. Nemo sibi persuadeat, se spiritualem Theologum esse, cum librum istum legat, intelligat, interpretetur, aut se intelligere illum ac interpretari posse existimet. Tom. II. Alt. p. 601.* Idem in Enarrationibus super Genesim Moisaicam in Explicatione Capitis III. postquam docuit libros de coelesti et Ecclesiastica Hierarchia non esse Dionysii Areopagitae, inquit: *In tantum extollitur auctoritas ejus (Pseudo-Dionysii,) vt superbi ac inflati hypocritae omnia fere, quae dicit, inter articulos fidei numerent, cum tamen ne verbulo quidem fidei atque utilis e Scriptura doctrinae mentionem faciat. Tom. IX. Alt. p. 113.*

*Ergo differt arcana DEI Sapientia,
quam Paulus tradidit, ab illa Dionysii
Theologia mystica? R.*

Toto coelo differt. Quod nunc ex collatione vtriusque manifestum fiet. Aduertimus supra

I. arcanam Dei Sapientiam in sola Scriptura S. quaerendam, et ex illa omnes Conclusiones Theologicas tanquam ex principio suo deducendas esse; quod etiam sufficienter probauimus. Hic vero

ro statim repugnat Dionysius, qui mysticam Theologiam cum Platonice in amore ecstático et in silentio, et mystica ignorantie caligine quaerit.

II. Vidimus arcanam Dei Sapientiam de Iesu Christo crucifixo, tanquam de praecipuo suo obiecto agere; sed ex aduerso Dionysius in tota Theologia mystica, ne verbulo quidem Servatoris nostri meminit, nec de illo cogitandum esse docet, quin potius *ascendendo* inquit: *DEVS neque deitas est aut bonitas, neque Spiritus, sicut nos videmus, neque filiatio, neque paternitas, neque aliquid aliud cognitum nobis.*

III. Arcana Dei Sapientia, quam Paulus docet, *omnibus*, Mystica vero, quam Dionysius tradit, *paucis* reuelanda est. *Vide*, inquit, *ut nullus indoctorum ista audiat.* Quis igitur discat? omnes, antequam docti vocamur, rudes et indocti sumus?

IV. Finis arcanae Dei Sapientiae est, *hominum salus aeterna, post hanc vitam obtinenda.* Sed Mysticae Theologiae scopus est *transformatio in DEVM*, cuius non tantum aliquando, (etiam si hoc absonum sit,) sed et nunc, dum vivimus in ecstasi amoris fieri quis possit capax. Inde liquet Theologiam Mysticam Dionysii, a Sapientia Dei arcana, plane diuersam esse.

Qu. XVI.

Anne saltem pars arcanae DEI Sapientiae est Theologia Mystica? R.

Veteres Ecclesiae Doctores tres Theologiae Christianae partes constituerunt. 1. Θεολογίαν, 2. Ἀνθρώπων λογίαν, 3. Οἰκονομίαν, quam et Χειρολογίαν aliqui vocare consueverunt. Quare possit cui dubium suboriri: *Anne ad primam ex hisce partibus Θεολογίαν videlicet κατ' ἔξοχὴν sic dictam, Mystica Theologia referenda sit?* Quamuis enim de Christo non agat, agit tamen de Deo, et quamuis DEVM neque in Via *Eminentiae*, neque in Via *Causalitatis*, neque siue in *symbolis*, siue in *nominationibus* consideret, tamen ad illum ascendere videtur per viam *Negationis*.

Verum *nec ista Negatio methodo scripturae conformis est.* Neque enim (1.) subsistit in remotione *finitatis, dependentiae, mortalitatis,*

eis, mutabilitatis; sed extra oleas vagatur, et paternitatem quoque, filiationem, imo Vnitatem, Trinitatem ac Veritatem negat, solamque retinet Bonitatem. Quin Marfilius scribere non dubitat: Potentiam ac Sapientiam infinitam possumus odisse. fol. IV. Th. Myst. Neque 2) per remotionem suam quaerit aliquam Dei cognitionem, sed quicquid intellectus est, et habet, exterminare conatur, vt nil remaneat, nisi amor ecstasticus. Neque (3.) ad DEVM appropinquat in Christo, sine quo alias nemo ad Patrem peruenire potest, Iob. XIV. 6. sed per ecstasticum amorem Summo Bono frui cupit. Quantum igitur haec distent a communi Theologorum via Negativa, nemini obscurum esse puto.

Qu. XVII.

*Altius fateor, euolat Mystica, quam
Vulgaris Theologia nostra; licet-
ne vero sic utramque coniungere, vt
dicamus, ubi Vulgaris desinit, ibi My-
sticam incipere? R.*

*Nec id quidem licet. Enim vero (1) μή ἴσμεν ὃ γέ-
γραπται φρονεῖν, Non concessum nobis est sapere, vltra id,
quod scriptum est. I. Cor. IV. 6. (2) Vulgaris Theologia nostra
Mysticam destruit, et vicissim Mystica vulgarem, quia diuersam sa-
lutis consequendae viam monstrant. Vulgaris enim Christi meri-
to niti nos iubet, Mystica amore ecstastico. (3) Quamobrem Paulus,
quando Galatis, auditoribus suis, quasi viuis coloribus Christum de-
pinxerat, Gal. III, 1. inquit: Si vel nos, vel Angelus de coelo euangeli-
zar et vobis praeterquam quod euangelizatum vobis est, anathema sit.
Sicut praediximus et nunc iterum dico: Siquis vobis euangelizauerit
praeter id, quod accepistis, anathema sit, Gal. I, 8. 9. Cum igitur The-
ologia Mystica aliam salutis viam euangelizare soleat, praeter quam
a Paulo, ad fidem in Christum nos ducente, accepimus, nullum est
dubium, quin hoc Apostoli fulmen illam prosterнат.*

Num Theologiae Mysticae placita Scripturae sunt aduersa? R.

Adeo sunt aduersa Scripturae, vt illa vbique improbet ac damnet ea. Nam

(1.) Nullibi Scriptura iubet nos amore ecstático, DEum quaerere, quin potius dicit *α*] *Christum ex Sinu Patris sui protulisse*, quae nobis credenda sunt, *Iob. I.*, 19. *β*] verbis Christi inhaerendum esse. *Si quis aliter docet, et non acquiescit sacris sermonibus Domini nostri Iesu Christi et ei quae secundum pietatem est, doctrinae, inflatus est nihil sciens*, *1 Tim. VI.*, 4. *γ*] ostendit modum tot exemplis *Matth. XXII.*, 29. 44. *Rom. I.*, 17. c. *IV.*, 1. etc.

(2.) Nullibi Scriptura iubet DEi Christique memoriam excutere. *Haec enim est vita aeterna, vt cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum*, inquit Salvator, *Iob. XVII.*, 3. Vnde Paulus: *Scio, cui credidi, et certus sum, quia potens est, depositum meum seruare, in illum diem.* *2 Tim. I.*, 12.

[3] Cum etiam emitteret Christus Paulum, non dicebat: *Tace, quae iam audis ex me; sed: Ecce, mitto te ad gentes et populos, aperire oculos eorum, vt conuertantur a tenebris ad lucem, a potestate Sanae ad DEVM.* *Actor. XXVI.*, 18.

[4] A speculari Visione Dei, ad intuitivam in hac vita nos pervenire posse, refutat ipse Paulus *1 Cor. XIII.*, 12. *Hic video per speculum in aenigmate, tunc [post mortem] a facie ad faciem.* et *2 Cor. V.*, 6. *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus et non per speciem.* Quis etiam ex nobis in hac vita ad coelum DEI intraret? *Habitat DEVS lucem inaccessibilem, quam nemo hominum vidit, nec videre potest.* *1 Tim. VI.*, 16. Et quis transformationem in DEum sibi polliceatur? *ἀποθέωσις* Platoniam? Scripturae penitus ignotam. *Erimus cum Domino* inquit Paulus, *1 Theff. IV.*, 12. non mutabimur in eum. *Deus erit omnia in omnibus*, *1 Cor. XV.*, 20. Rex, Pater, Pastor, lux, sol, beatitudo nostra, *Apoc. XXII.*, 5. nos autem non erimus Deus in Deo. Quando enim in hac etiam vita participes reddimur diuinae naturae, *2 Petr. I.*, 4. et vnus cum Domino Spiritus sumus

sumus, 1 *Petr.* II, 16. fit hoc non per transformationem, sed per Unionem Mysticam, qua DEVS habitat in nobis, vt in suo templo 2. *Cor.* VI, 16. mansionem apud nos facit. *Job.* XIV, 23. nosque vicissim spiritualia membra corporis Christi mystici sumus 1 *Cor.* V, 15. imo palmites in hac vite. *Job.* XV, 1.

[5] Tangit ergo Mysticos illud Pauli: *Videte ne quis vos decipiat, per Philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum.* Col. II, 8. Confer omnino, quae Dn. Bücherus super hoc dictum notat in *Platone Rediuiuo.* p. 18.

(6) Reuocamur autem in Viam Scripturae: *Ad legem ac testimonium, et nisi hoc dixerint, non erit iis matutina lux,* Ies. VIII, 12.

Qu. XIX.

Forsan Scriptura reliquas tantum Theologiae species exhibet, Mysticam vero subobscurè indicat, ne profanetur? R.

Illud semper praetendunt Mystici. Nec enim videri volunt, negligere Scripturam, sed dicunt potius: *Scriptura reliquis Theologiae speciebus inservit, Hypotyposibus et Nominatiuae et Symbolicae Theologiae; Nos vero diem quaerimus et phosphorum, qui exoritur in cordibus nostris, vbi illa omnia, quae tantisper ex Scripturis didicimus ex animo depellimus.*

Eam ob causam allegant ex 2 *Petr.* I, 17. *Habemus firriorem sermonem propheticum, cui rectè facitis attendentes, tanquam lucernae in loco caliginoso lucenti, donec dies illucescat et phosphorus oriatur in cordibus vestris.*

Sed absit, dicamus, D. Petrum aliud quam Scripturae lumen nobis commendare, qui suos auditores hic reuocat ad Vetus Testamentum, quod in umbra typorum ac per sermones Prophetarum de Christo testatur. Huic potius quam reuelationibus priuatis attendendum esse scribit, donec per Illuminationem gratiosam Spiritus Sancti, tum ex hoc verbo prophetico, tum ex praeconio Apostolorum in N. T. dies illucescat, siue clarior cognitio rerum

rerum credendarum nobis obueniat, et Christus ipse, coelestis ille
phosphorus oriatur in cordibus nostris: vel donec in altera vita, et
 coelesti Academia impleatur, quod Paulus ait: *Tunc videbo a*
facie ad faciem, et cognoscam ex toto. 1 Cor. XIII, 17. Quare quam-
 cunque Theologiam Scriptura S. non exhibet ac plane, plene et
 perspicue tradit, illa vel naturalis est, atque adeo ad salutem insuffi-
 ciens, vel *alterius vitae*, atque a praesenti scopo aliena, vel *Mathaeo-*
logia eorum, qui *perniciosas haereses introducunt* et cum aliis tum *se-*
bimetipsis praesentissimum exitum parant. 2 Petr. II, 1.

Qu. XX.

Si vero, ut ais, arcana Dei Sapientia a
Mystica toto colo differt, cur quaeso
Apostolus eam I. nominat Sapientiam
inter Perfectos? R.

Hic sibi pollicentur aliquid Myfici pro sua hypothesi, qua
 negant, *enunciandam esse omnibus Theologiam suam.* Sed vana spes
 est in nomine *Perfectorum.* Nam

1] Dionysius Auditorem *perfectum* vocat, qui Ideis Platonis
 affuetus est, ac mente sua ascendere atque euolare didicit. *Vid.*
Cap. I, Tb. Myst. et Marf. Fic. fol. IV. Sed Paulo *τέλειος* est, qui ru-
 dimenta doctrinae coelestis animo complexus est, ac *per habitum*
exercitatos habet sensus ad discretionem boni et mali. Ebr. V, 14.
 Vocatur alias *spiritualis*, h. e. a Spiritu S. illuminatus, 1 Cor. II,
 14. comparatur etiam *cum viro perfecto in mensura statuae adul-*
ti Christi, qui non amplius puer est, non fluctuat, nec circumfertur
quouis vento doctrinae in hominum alea veteratoria, ad insidiosae fal-
lendum veritatis, sed veritate sectatur in charitate. Eph. IV, 13.

2] Quando Apostolus inquit: *Loquimur inter perfectos;* non ne-
 gat, se omnibus diuinam Sapienciam annunciasse. [Quibuscunque
 enim praedicauit Christum, illis Dei virtutem et DEI Sapienciam
 exposuit. 1 Cor. I, 24.] Sed *prouocat ad perfectiores, tanquam ad ve-*
ros suae assertionis testes. Enim vero incitiae et ruditatis accusa-
 bant eum *Pseudo-Apostoli*, eo quod Christum praedicaret crucifi-
 xum,

xum, verbisque vteretur adeo vulgaribus, vt nulla σοφία λόγῳ
in concionibus eius compareret. Porro *Catechumeni* adhuc in-
firmiores et rudiores erant, quam vt iudicare de controversiis il-
lis possent. Quamobrem prouocat Paulus ad perfectiores et do-
ctiores Christianos, et aduersariis suis respondet: Etsi praeco-
nium meum a vobis contemnitur, ac dignitatem illius ne rudiores
quidem Christiani intelligunt, tamen illi quos Spiritus sanctus il-
luminauit, vt de rebus spiritualibus rite iudicare didicerint, plu-
ris aestimant, ac Dei Sapientiam, quae per illud manifestatur, agno-
scunt.

Qu. XXI.

*Cur vero II. negat esse Sapientiam seculi
et Principum seculi huius? R.*

(1) Per αἰῶνα τῆσθον intelligit Paulus consueto Scripturae
more, *mundum peccato corruptum*, qui tenebras amat, *Joh. III, 19.* et
Christam haud recipit. *Cap. I, 11. Excoecauit enim DEVS huius seculi
mentes impiorum, ne fulgeat eis clara lux Euangelii. 2 Cor. IV, 4.*

[2] *Principes huius seculi* sunt in diuersis vitae generibus magni
et excellentes viri, quales erant, qui *Dominum gloriae interse-
cerunt. v. 8.* Herodes, Pontius Pilatus, Sacerdotes, Scribae, Phari-
saei, Sapientes Iudaeorum et ex Gentilibus omnes illi, qui reliquos
auctoritate, potentia aut Sapientia superabant. Hi enim cuncti
doctrinam de Christo et veram salvandi rationem non admiserunt,
nec dictamine rationis suae assequi potuerunt. Cum enim *mun-
dus in sua Sapientia, Deum in ipsius Sapientia non agnosceret, pla-
cuit DEO per stultitiam praedicationis saluos facere credentes.*
1 Cor. I, 21.

Igitur Platonicos Mysticosque nostros ferit Apostolus,
quia non in verbo reuelato DEVM quaerunt, sed ascensione
et ductu amoris cuiusdam ecstatici ad eum enituntur. Haec
carnis prudentia est inimicitia aduersus Deum. Rom. VIII, 7,

Qu. XXII.

*Cur vocat III. Sapientiam Dei in myste-
rio absconditam? R.*

Et in hoc sententiae suae praesidium quaerunt Mystici
D Quid.

Quid enim est, inquit, Sapientia Dei in Mystero, nisi Theologia Mystica? Ergo de illa gloriatur Paulus. Sed

[1] Sapientia Dei dicitur non quasi immediate a Deo expectanda sit, sed quia α) est a Deo mediante verbo per quod illuminamur. β) quia de DEO ac rebus diuinis agit. γ) quia ad Deum tanquam ad finem nos reducit.

[2] Vocatur Sapientia in mysterio, propter mysteria regni coelorum, quae complectitur, et quia reuelat ὁμολογούμενος μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον de incarnatione Christi. 1 Tim. III. 16. Conf. Psalm. LI, 8.

[3] Est Sapientia ἀποκρυμμένη abscondita ab oculis mundi et Sapientum huius mundi. Gratias ago tibi Pater, inquit Christus, quod abscondisti haec sapientibus, rudibus autem patefecisti. Nae Pater, ita bene placitum fuit in conspectu tuo. Matth. XI, 25. 26.

Qu. XXIII.

Cur IV. ait: Deum praefinisse illam ab aeterno in gloriam nostram? R.

Haud obscure hic mentionem facit Theologiae ἀρχετύπου et aeterni illius consilii, quod de nostra salute Deus concepit. Sicut enim in Christo nos elegit ante iacta mundi fundamenta Eph. I, 4. ita etiam ab aeterno, doctrinam de Christo manifestare decreuit, non in perniciem cuiusquam, sed in gloriam nostram, ut (1) dum viuimus gloriamur in cruce Domini nostri Iesu Christi, Gal. IV, 14. [2] in morte gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Rom. V, 2. et [3] post beatam ἀνάλυσιν immarcescibilem gloriae coronam reportemus. 1 Petr. V, 4. Ad hanc igitur gloriam anhelantes non mystico, sed simplici sensu Pauli cupimus dissolui et esse cum Christo. Phil. I, 23. Audemus, enim, et bonam voluntatem habemus, peregrinari magis a corpore, et praesentes esse ad Dominum, ideo contendimus, siue absentes, siue praesentes placere illi. 2. Cor. V, 8. 9.

Interim

Memento, nostri Domine,
In gravi isto corpore,
Qui es defensor animae,
Adesto nobis Domine.

CS 0 10

Aug VI 49 (1)

ULB Halle

3

001 853 821



5b.

VD 18

VD 17

Retro /



14.

QVOD BENE FELICITERQVE EVENIAT !

EX 1. COR. II, 6.7.

DE

SAPIENTIA DEI

IN MYSTERIO ABSCONDITA,
COLLATA

CVM

THEOLOGIA MYSTICA

DIONYSII, VT AIVNT, AREOPAGITAE,
SVB PRAESIDIO

ANDREAE KVNADI,

SS. THEOL. D. EIVSDEMO. AC METAPH.
PROF. P. ET AD AED. S. TRIN. PAST.

PVBLICE IN GYMNASIO ANHALTINO DISSERT
O. NICOLAVS BETICHIYS, *Servest.*


THEOLOGIAE AC PHILOSOPHIAE STUDIOSVS,

D. xx. OCT. 4. MDCCVII.

SERVESTAE,

TYPIS JOH. DANIELIS MÜLLERI,

ILL. GYMN. ANHALT. TYPOGR.



Farbkarte #13

B.I.G.